

(Lessius, op. cit. q. 18. a. 1) Alii tamen opinantur capacitatem exercendae libertatis physicae numquam sejungi a capacitate expedita exercendae libertatis moralis. (Frins, op. cit. n. 240) Sed eorum sententiam rejiciendam ducimus eo quod pueri aliive mente debili praediti audiuntur rationem reddere e solo bono delectabili desumptam cur hac potius quam illa ratione egerint, qui tamen honestum ab inhonesto discernere minime valeant.

Hinc patet non esse reale discrimen inter actum humanum et moralem, sed eundem dici humanum, quatenus spectatur in suo esse physico et entitative a voluntate proficiscitur, et moralem, quatenus spectatur in genere moris. Per moralitatem superadditur tantum aliqua formalitas quae in conceptu voluntarii et liberi jam implicite continebatur, siquidem actus, ut vere humanus sit, supponendus est procedere ab operante scienter, libere et cum advertentia ad regulam morum.

Moralitas subjective considerata, ut a Theologis intelligitur, est velut genus quod duplicem speciem sub se habet: bonitatem et malitiam. Actus erit bonus, si normae honestatis conformis est; malus (seu, ut vulgo dicitur, immoralis), si ab eadem recedit. (1. 2. q. 18. a. 5)

**31.** Duplex distingui solet **regula morum**: altera primaria, objectiva, extrinseca, remota; altera, secundaria, subjectiva, intrinseca, proxima.

*Primaria* est lex cui actus conformandi sunt ut boni fiant. Nempe regula suprema hominis est finis ultimus quem bene agendo assequi debet. Nam "tanto est unumquodque perfectius quanto est ultimo fini propinquius." (1. 2. q. 106. a. 4) Finis autem ille assequendus est juxta Dei voluntatem, quae nobis per legem innotescit.

Regula *secundaria* est eadem lex prout rationi innotescit et conscientia vocatur.

Utrumque igitur est eadem regula: primum, prout est ordo a Deo statutus; deinde, prout hic ordo singulis applicatur. Similitudinem habes in lege quae a rege fertur, sed singulis per ejus ministrum manifestatur. De utraque regula singillatim agemus in tractatibus de Legibus et de Conscientia. (1)

E notione hujus duplicis regulae patet quo sensu bonitas vel malitia moralis in *materialem* et *formalem* distingui soleat. Materialis bonitas sita est in convenientia actus cum regula primaria; formalis, in

(1) Logice prius de lege quam de conscientia agendum foret. Maluimus tamen prius de conscientia agere, tum ne sine urgente ratione discedamus ab ordine quem cum S. Alph. servant plerique moralistae recentes, tum quia in tractatu de Conscientia expeditur quaestio fundamentalis de probabilismi usu.

ejus convenientia cum regula secundaria. Formalis enim bonitas haberi potest tantum quando actus scienter et libere ponitur. Similiter dicendum de malitia materiali et formali. Cum duae praefatae regulae non semper inter se concordantes sint, fieri potest ut idem actus sit materialiter bonus, formaliter malus, ut si manducem carnes eo die quo erronee existimo praecipere abstinentiam, vel formaliter bonus, materialiter malus, ut si manducem carnes, invincibiliter ignorans eo die praecipere abstinentiam. Adverte etiam non quamlibet moralitatem esse obligatoriam, cum nulla lex naturalis vel positiva praescribat agere quidquid bonum vel melius est, prout a Philosophis moralibus contra quosdam neotericos probari solet.

**32.** Multae controversiae a saeculo XVI<sup>o</sup> motae sunt de quibusdam condicionibus quas Protestantes, Baiani, Janseniani, vel Augustiniani necessarias esse contenderunt ut actiones humanae moraliter bonae sint. Hodie, cum prorsus obsoleverint illae disputationes, sufficere hic breviter referre catholicam vel communiorem doctrinam. Igitur ad moralem honestatem actionum minime necessarium est:

1<sup>o</sup> Ut actiones motivo caritatis informantur. Constat e Conc. Trid. Sess. 6. can. 31: "Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit."

2<sup>o</sup> Ut referantur ad Deum ex motivo supernaturali. Sequitur e damnatione prop. Baii 25<sup>ae</sup>: "Omnia opera infidelium sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia."

3<sup>o</sup> Ut referantur ad Deum intentione omnino explicita et saepe renovata, ita ut influxus positivus hujus intentionis ad omnia et singula opera nostra extendatur. Hanc sententiam tuebantur ii Theologi qui saeculo XVIII<sup>o</sup> Augustiniani vocabantur. Hi nitebantur praesertim celebri effato S. Pauli: "Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite." (1. Cor. X, 31) Quam inane sit argumentum, facile patet inspicienti contextum. Nempe Apostolus h. l. dirimit quaestionem sibi propositam: quatenus liceat manducare idolothyta. Regulam practicam tradit vv. 27 et 28, vid. ut carnes idolis immolatas manducant quoties nullum scandalum timendum est, ab iis vero abstineant ubi scandali periculum adest. Deinde v. 31 effert principium generale cui solutio casus innititur: quod e vocula *ergo* clarius apparet. Atque iterum v. 32 eandem sententiam alia forma effert: "Sine offensione estote Judaeis, et gentibus et Ecclesiae Dei." Igitur v. 31 non merum consilium est, ut plures DD. opinati sunt, sed verum praeceptum scil. scandali vitandi, et, quamvis forma positiva exprimitur, negativum praeceptum est, ut v. 32 comprobatur. Cfr. Cornely in h. l.

## § 2. DE FONTIBUS MORALITATIS.

33. Jam declaratum est quomodo moralitas alicujus actus generice desumatur ex ejus habitudine ad regulam morum. Nunc autem distinctius discernenda sunt varia elementa quae conferre possint ut actus cum hac regula conformis vel ab eadem difformis existat. Haec autem elementa, quae moralitatis fontes vocari solent, numero sunt tria: objectum, circumstantiae et finis, de quibus singillatim dicendum.

34. **OBJECTUM** est illud in quod voluntas primario tendit, seu actio in abstracto considerata, v. gr. legere, manducare, etc. Additur "primario", ut distinguatur objectum a circumstantiis.

Objectum actus *materiale* est id circa quod actus versatur, sive res, ex. gr. pecunia aliena quae concupiscitur; sive actio, ex. gr. rei alienae ablatio. Objectum *formale* est istud idem prout cum advertentia ad normam honestatis attingitur ab agente, ex. gr. eadem concupiscentia vel ablatio scienter et libere facta. Objecta possunt esse bona vel mala *extrinsece* et *intrinsece*. Extrinsece bona vel mala sunt objecta quae, in se spectata, haberi possunt ut indifferentia, sed bona fiunt quia praecipuntur, aut mala quia prohibentur, ex. gr. jejunium in vigilia, opera servilia die Dominica. Intrinsece bona vel mala sunt ea quae, ratione sui, e recti ordinis exigentia, praecipuntur aut vetantur. Haec in duplicem classem subdividuntur. Nam duplex est ordo rerum: alter ita fundatus in natura rerum ut Deus ipse eum mutare nequeat; alter qui subest divinae potestati, propter dominium quod Deus in universas creaturas exercet, atque adeo, cum non sit absolute necessarius, a Deo mutari potest. Sic immutabiliter bonum est amare Deum; immutabiliter malum, Deum odisse. At occisio hominis vel ablatio rei alienae possunt fieri licita, si nempe Deus det alicui potestatem in alterius vitam vel bona. Haec ergo dicuntur intrinsece mala, tantum quia ordinarie carent homines jure ad ea peragenda.

Interdum etiam dicuntur intrinsece mala quae melius vocarentur intrinsece periculosa, ex. gr. aspectus objecti turpis. Si enim deest periculum proximum consensus in turpem delectationem, talia ob justam rationem fieri possunt licita.

Manifestum est actum desumere moralitatem ex objecto formaliter inspecto, si ita habet habitudinem ad regulam morum. Quodsi objectum ita sumptum nullam hujusmodi habitudinem habet seu est indifferens, moralitas actus desumetur unice e fine et circumstantiis.

35. **CIRCUMSTANTIAE** dicuntur "quaecumque condiciones sunt extra substantiam actus et tamen attingunt aliquo modo actum humanum." (S. Th. 1. 2. q. 7. a. 1)

Hinc patet circumstantias jam supponere actum in sua specie constitutum, nempe habentem speciem ex objecto in quod tendit. Sic actui qui, ex objecto, furtum est, accedit malitia sacrilegii ex illa circumstantia quod res e loco sacro sublata est. Considerantur autem a nobis prout ordinem dicunt ad meritum vel demeritum coram Deo: unde pro nobis nullius erunt momenti circumstantiae quae apud alios, ex. gr. jurisperitos, maximi fiunt. Jus enim civile, cum intendat temporale bonum et securitatem civium, severissime punit actus malos ob circumstantias quae vix a nobis attendi merentur, ex. gr. furtum vi aperta vel ope falsarum clavium patratum. (Cod. Poen. a. 464 seq.)

Circumstantiae septem hoc trito versu indicantur:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Triplici ratione in moralitatem influunt circumstantiae:

1° Transferendo peccatum in aliam speciem theologicam, nempe efficiendo ut quod ex objecto est grave fiat leve, vel vice versa. Exemplo sint: imperfectio cognitionis excusans a peccato gravi, notabile damnum quod alicui oritur ex ablatione rei minimi pretii.

2° Addendo novam speciem moralem, quando scilicet ratio malitiae quae ex circumstantia accedit est diversi ordinis ac malitia objecti. Sic in furto sacrilego, manet ex objecto malitia contra justitiam, sed ex circumstantia loci vel rei accedit malitia contra religionem.

3° Augendo vel minuendo malitiam intra eandem speciem tum moralem, tum theologicam. Practice considerari solent tantum circumstantiae notabiliter aggravantes, ut si quis odium grave fovet per annum.

36. **FINIS** est id propter quod aliquid fit. Reapse inter circumstantias reponendus esset, sed se junctim a reliquis consideratur quia principem locum in rebus moralibus tenet. Neque enim solis mediis dominatur, sed et ipsi objecto, quod saepe tamquam medium adhibetur, ex. gr. si quis furatur ut sese inebriet. Attendi merentur variae divisiones finis. Sic distinguuntur:

1° Finis *operis* seu *intrinsecus* et finis *operantis* seu *extrinsecus*. Prior est scopus ad quem opus per se ipsum tendit: sic largitio eleemosynae natura sua tendit ad inopiam levandam. Posterior est ille scopus ad quem operans libere assumit opus, tamquam medium ad finem, ex. gr. si quis studet ad officium aliquod adipiscendum.

Fieri potest ut nullus sit finis praeter intrinsecum, ex. gr. si quis in ecclesia canit unice intendens Dei honorem. Potest quoque unus finis alteri superaddi, ex. gr. si quis canit in ecclesia ad Deum laudandum, sed simul ad lucrum faciendum. Tandem potest finis intrinsecus omnino negligi, ex. gr. si quis in ecclesia canit unice ad lucrum faciendum.

2° Finis *ultimus simpliciter* et *secundum quid*. Prior ille est qui ad

nullum alium ordinatur; sic hominis finis simpliciter ultimus est beatitudo seu boni perfecti assecutio. Posterior ille qui, licet ultimus sit in aliqua serie actionum, ad alium tamen finem ordinatur. Ita potest aliquis varia media adhibere ad fratrem suum e carcere liberandum, ex. gr. consulere jurisperitos, intercedere apud regis ministros, etc. Quae omnia referuntur ad liberationem fratris tamquam ultimum finem in hac serie actionum, qui tamen ulterius ordinari potest ad aliud, ex. gr. honorem familiae, gloriam Dei.

Finis dicitur *positive ultimus*, quando ex se vel ex intentione agentis ulteriorem excludit; *negative ultimus*, quando per se ad ulteriorem ordinari potest, quae tamen ordinatio neque habetur, neque actu excluditur, ex. gr. actus aliarum virtutum quos agens non refert ad finem nobiliorem caritatis.

3<sup>o</sup> Finis *primarius* et finis *secundarius*. Prior ille est qui per se sufficiens est ut ad actum moveat: unde et multiplex pro eadem actione esse potest. Sic rusticus tendit in civitatem tum ad negotia peragenda, tum ad pompam invisendam, aequè iturus si alter finis deesset. Posterior ille est qui per se non sufficit ad agendum, sed tantum impellit cum alio primario, ut si, in exemplo dato, rusticus non tenderet ad pompam visendam nisi negotia in urbe gerenda haberet.

Cum finis locum principalem inter circumstantias teneat, immo etiam saepe objecto ipsi dominetur, manifestum est eum esse fontem moralitatis praecipuum.

37. Quo clarius determinetur **influxus finis** in moralitatem actus, praesertim peccaminosi, juvat attendere ad sequentes regulas.

**REGULA I.** Si finis est *graviter malus*, tota actio mala est, quia fieri nequit ut aliquis ulla ratione placeat Deo per illum actum quo mortaliter peccat et totaliter a Deo avertitur. Exemplum habes in eo qui succurrit pauperi ut eum a fide avertat.

**REGULA II.** Si finis *leviter malus est ratio totalis* ob quam actus ponitur, totus actus, etiamsi ex objecto materialiter bonus est, vitiatur. Ratio est, quia sic agens non vult bonum nisi sub ratione mali ideoque ex toto mala est ejus voluntas. (S. Th. 1. 2. q. 19. a. 7. ad 2) Exemplo est qui orat unice ut ab hominibus videatur.

**REGULA III.** Si finis *leviter malus non est totalis ratio* ob quam ponitur actus, cujus objectum sit formaliter bonum, actus iste erit partim bonus, partim malus. Ratio est, quia potest simul cum fine leviter malo haberi tendentia voluntatis in bonitatem actionis objectivam, vel in

alium finem bonum extrinsecum. Neque destruitur illa bonitas per tendentiam venialiter malam, quippe quae non avertat simpliciter hominem a fine ultimo.

Potest autem haec hypothesis verificari hac triplici ratione:

a) Quando finis malus se ita miscet aliis finibus ut sit quasi concomitans, ex. gr. si quis tendit ad ecclesiam intentione divini servitii, sed ei interim obrepat intentio vanae gloriae. Notandum tamen hic semper agi de actu exteriori qui sit unus in genere naturae, sed multiplex in genere moris. Nam, ut habet S. Th. 1. 2. q. 20. a. 6: " Si accipitur unus actus, prout est in genere moris, impossibile est quod sit bonus et malus bonitate et malitia morali; si tamen sit unus unitate naturae et non unitate moris, potest esse bonus et malus. "

b) Quando finis malus consequitur voluntatem jam bonam, ex. gr. vana gloria quam intendit concionator postquam zelo sincero concionari coepit.

c) Quando antecedit quidem actum, sed ita extrinsece ut potius occasio quam ratio actus subsequentis dicendus sit. Ita puer, qui metu parentum adigitur ad sacramenta suscipienda, potest debita intentione ea suscipere.

**REGULA IV.** Nullatenus corrumpitur actus formaliter ex objecto bonus, si quis *secundarius finis accedat qui sit vel saltem habeatur ut indifferens*, ex. gr. si quis ecclesiam adit ad orandum, sed etiam ad musicam audiendam. Id deducitur a fortiori e regula III, siquidem nec finis leviter malus, dummodo non sit totalis causa actus, totum actum corrumpit.

His regulis determinatur sensus illius axiomatis quod crebro usurpatur, nec semper accurate: " Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu, "

38. Advertenda sunt quaedam discrimina quae inter bonum et malum ratione imputabilitatis vigent:

1<sup>o</sup> Ut voluntas bonitatis meritum habeat, oportet ut bonum sub ratione boni appetat: non est enim bona voluntas in qua nullus est motus in bonum qua tale spectatum. Hinc nullum est meritum illius qui Missae interest unice ut musicam audiat, nihil sub honesti ratione intendens.

2<sup>o</sup> Qui opus jam ex se bonum in alium finem bonum refert, habet duplicis bonitatis meritum, si utramque intendit: nam una alteri non officit. Sic qui jejunit ad castitatem obtinendam, tum abstinentiae, tum castitatis virtutem exercet.

3<sup>o</sup> Ut actus malus sit, non est necessarium ut objectum ametur propter suam malitiam, aut ut malitia aliquo modo directe sit volita, sed

sufficit eam esse ita conjunctam objecto ut censeatur interpretative volita, quando quis vult objectum, qualis est malitia fornicationi inhaerens, quamvis fornicans nihil nisi carnalem voluptatem intendat. Etenim malum nobis fugiendum est, neque potest bene appeti: quocumque igitur modo a nobis appetitur et non tantum permittitur, jam nobis secundum propriam indolem imputatur. (Frins, op. cit. n. 185) Quodsi, praeter malitiam objecti habetur et malus finis, agens duplicis malitiae reus erit, ex gr. si quis mentitur ut alteri damnum inferat.

4<sup>o</sup> Actus ex objecto bonus aut indifferens potest fieri malus vel ex fine vel ex circumstantiis. Exemplo sit religiosus qui contra Superiorum jussa orationi vacet. Actus vero ex objecto suo malus nequit fieri bonus ob finem bonum qui intenditur. Sic peccat qui furatur ut pecuniam cultui divino impendat.

**39. QUAER. I.** Num dentur *actus proprie indifferentes*, qui scilicet nec bonitatem, nec malitiam moralem habeant.

**RESP.** Praenotandum est in quaestione non agi de actibus specificè inspectis: siquidem liquet in notione multorum, puta ambulandi, scribendi, etc. nihil esse quod ad normam honestatis referatur. Neque agitur de actibus hominis, sed de iis qui proprie humani sunt quia libere et scienter sub advertentia ad regulam morum eliciuntur, ac proinde soli ad moralitatem pertinent. Nulla etiam quaestio directe fit de merito vel demerito supernaturali: manifestum enim est ad tale meritum indifferentes esse posse actiones naturaliter honestas, puta quia ponuntur ab homine qui gratia careat. Unde quaestio huc redit: num inter actus humanos, quales concrete ponuntur, sint quidam nec boni, nec mali, "ut si quis alicui loquatur ex quadam civili amicitia, vel aliquod opus amicabile ad ipsum exerceat." (S. Th. 2. dist. 40. q. 1. a. 5)

Quaestioni sic determinatae respondendum censemus probabilius negative, cum S. Thoma, Suarez et plerisque Theologis: quibus tamen contradicunt non pauci, ut Scotus, Lessius, Vasquez et Sporer.

Ratio sententiae nostrae ita dari potest cum S. Thoma (1. 2. q. 18. a. 9). Omnis actus humanus fit ob aliquem finem, ut ex ipsa actuum deliberatorum natura patet. Atqui hic finis necessario actum vel bonum vel malum reddit. Etenim si finis iste normae honestatis conformis est, actus erit bonus; si ab eadem difformis est, actus erit malus. Ut autem honestus sit finis iste, non est necesse ut semper explicite intendatur bonum honestum, sed sufficit ut implicite idem bonum appetatur: quod fit ab eo qui bonum delectabile prosequitur quatenus illud est moderatum, et consequenter cum humanae naturae necessitatibus justam proportionem habet. (S. Th. 1. c. ad 3.)

**40. Contrariae sententiae fautores nituntur praecipue his argumentis:**

1<sup>o</sup> Onus fere intolerabile homini imponeretur, si deberet etiam in minimis, ex gr. in actu manducandi, bibendi, pedem manumve movendi, etc. finem honestum intendere. — Resp. Nihil amplius a nobis quam ab adversariis poscitur; immo vel benignior est sententia nostra quam opposita. Etenim, si verum est quod sentimus, illi actus quos adversarii putant esse indifferentes sunt reapse boni, modo in bono delectabili quod intenditur, nihil intercedat, rectae rationis ordini adversum: quam conditionem adversarii requirunt ne actus sit malus. Deinde advertendum est obligationem intendendi saltem implicite bonum honestum non urgere, nisi cum actus fit deliberate: quod plerumque non contingit in actionibus quae nullius sunt momenti, ut si quis fricat barbam, vel movet manum aut pedem. (S. Th. 1. c.) Si quis tamen hujusmodi motus etiam in iis minimis modestiam morum (n. 253) servare intendit, hic actum virtutis poneret. Sed nulla lege praescribitur heroicus ille conatus quem quidam Sancti adhibuisse leguntur ut rationis dominium in hujusmodi actiunculas extenderent.

2<sup>o</sup> Sublatis actibus indifferentibus in individuo, tollitur discrimen inter res quae sunt de consilio tantum et res quae sunt de praecepto. Etenim actus quo quis recusat facere quod meri consilii est, nequit dici bonus; ergo erit malus, cum nullum detur medium, ac proinde res quae de consilio est nequit omitti sine peccato, perinde ac si praecepta esset. — Resp. Omissio vel voluntas omittendi rem perfectiorem est actus bonus, dummodo finis ob quem consilium omittitur, sit rationabilis, ut puta ne mens nimis conatibus obruatur. Quodsi idem finis rationabilis non est, actus erit malus, non quod res praecepta sit, sed quia in omnibus actibus deliberatis postulat natura rationalis ut finem rationabilem intueamur. Nec quidquam prohibet quominus omissio partis perfectioris maneat bona, ut patet e 1 Cor. VII, 38: "Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, et qui non jungit, melius facit."

**41. QUAER. II.** Num *actus externus* moralitatem addat actui interno.

**RESP.** Ut status quaestionis clare pateat, attende hic non agi de operibus quae lege praecipuntur: illa enim non aestimantur ex intentione agentis tantum, sed e praecepto legislatoris, qui non praecipit ex gr. internam audiendi Sacri voluntatem, sed realem assistentiam Missae. Neque inquiritur de valore aut fructu qui pendent ab intentione Dei instituentis vel singularem virtutem conferentis, ut in sacramentis vel martyrio: sic dubium non est quin sit magnum discrimen inter commu-

nionem realem et spiritualem. Seponendi sunt quoque actus humani qui per se inefficaces sunt, ut si quis vellet peragere solus quaecumque bene vel male in toto orbe peragantur. Nimis enim manifestum est per hanc velleitatem non contrahi eandem bonitatem vel malitiam ac si haec omnia exsecutus esset. Inquiritur ergo tantum de moralitate formali actionis humanae per se efficacis, sed quae per accidens inefficax manet, qualis est seria voluntas dandi eleemosynam in eo qui comperit crumenam suam esse inanem. Supponendo actum interiorem ex eadem gratia eodemque motivo procedere, quaeritur num haec volitio eandem moralitatem ac proinde idem meritum habeat ac si exterior actus eam secutus fuisset.

Juxta communem Theol. sententiam. actus exterior per se non addit moralitatem formalem, sed materialem tantum.

Ratio est, quia formalis moralitas tota quanta desumitur e cognita et libere volita conformitate cum regula morum. Haec autem integra habetur in actu interno. In hunc sensum Christus: "Omnis, inquit, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo." (Matth. V, 28) Quae verba sic explicat S. Augustinus (de lib. arbit. I, 1. c. 3. n. 8): "Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo fit id eum cupere, et, si potestas detur, facturum esse, non minus reus est quam si in ipso facto deprehenderetur." Frustra adversarii provocant ad obligationem accusandi actum externum in confessione: nam hujus obligationis ratio optime reddi potest in sententia nostra, ut patebit e dicendis in Tract. de Paenitentia. (Vol. II. n. 289)

Per accidens tamen, et plerumque de facto, actus externus auget meritum vel demeritum interni, quia actus, per executionem, solet pluries repeti vel fieri intensior et diuturnior.

#### CAPUT V.

#### DE MERITO.

42. Postquam de actuum humanorum moralitate dictum est, juvabit quaedam addere de eorum merito, quo velut ultimum suum complementum et perfectionem obtinent. Solent quaestiones de merito apud Theologos Dogmaticos agitari in tractatu de Gratia. Cfr. Em. Mazzella, Tract. de Gratia habituali, Disp. VI. Quare breviter tantum praecipuas notiones et principia recensebimus.

43. Meritum *in genere* est jus quoddam ad obtinendum praemium pro opere quod in alterius obsequium praestatur. Potest quidem in omni actione bona hominis spectari ejus meritum ad praemium mere naturale obtinendum a Deo in cujus gloriam cedunt omnes actiones honestae. Sed in praesenti condicione naturae per gratiam elevatae, juvat unice spectare meritum supernaturale, quo scil. Deus moveatur ad praemium supernaturale nobis concedendum.

Meritum *supernaturale* dividitur in meritum **de condigno** et meritum **de congruo**. Prius habetur ex opere cujus valor est quodammodo aequalis praemio, ita ut istud ex justitia homini debeatur; posterius habetur ex opere quod caret omni aequalitate cum praemio et proinde omni justitiae titulo.

Objectum meriti condigni contra Novatorum errores asseruit Conc. Trid. Sess. 6. can. 32, in quo anathemati subjicit eum qui dixerit "ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum." Cfr. ib. cap. 16 et can. 26. Adverte haec meriti condigni objecta ad solum operantem restringi.

Objectum meriti congrui sunt aliae gratiae et auxilia quae homo tum sibi, tum aliis mereri potest. Inter haec potissimum recensentur: gratiae efficaces quibus gratiam sanctificantem primam accipiamus, conservemus, augeamus, immo etiam (in sententia Bellarmini, Suarezii et aliorum plurimorum) post lapsum recuperemus; finalis perseverantia.

Licet nonnullam similitudinem habeant meritum de congruo et vis impetrandi, viget tamen hoc discrimen quod in priori Deus ad dona sua largienda movetur illa aliquali dignitate quam in opere merentis intuetur, in posteriore vero unice liberalitate sua et promissione quam, propter Christi merita, fecit.

44. Praecipue attendendae sunt **condiciones** requisitae ut meritum ex condigno habeatur. Sunt autem sequentes:

1<sup>o</sup> *Ex parte hominis merentis*:

a) Ut sit viator. Nam post mortem locus nullus merito datur. Cfr. Eccli. XI, 28.

b) Ut sit in statu gratiae. Qui enim dignus est poena aeterna, nequit simul dignus esse praemio quod in visione beatifica consistit vel ad eam ordinatur. Immo valor operis crescit cum perfectiore gradu gratiae sanctificantis ad quem operans pervenit.

2<sup>o</sup> *Ex parte ipsius operis*:

a) Ut sit actus moraliter bonus: secus enim in obsequium Dei cedere nequit.